Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono. (1782)

QUÆSTIO MEDICA

Cardinalitiis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 17. Martii.

M. GERMANO PREAUX, Doctore Medico, Profeſſore Regio, Præſide.

An ſtatim à cibo labor omnis vitandus?

EXIMIUS ſanitas theſaurus; hunc amiſſum veris lachrymis plorant omnes, præſentem nulli ferè debitâ ratione cuſtodiunt: alius quippe aut liber non eſt, nec poteſt convenientem ſequi vivendi modum; alius etiam ſi liber, aut cum inſanientibus furere neceſſe habet, aut ipſemet extra legem vivere ultrò geſtit. Qui tuendæ ſanitatis cupidus, ſimulque ſuæ ſpontis eſt, præſcriptis ab arte medicâ, de rerum non naturalium uſu, regulis, eo libentiùs ſubmittat ſe, quo nec iniquæ omnem vitæ dulcedinem adimunt, nec imprudentes neſciunt ad cujuſvis captum ſe accommodare. Res inter non naturales, ſecundum alimenta non immeritò locum obtinent, horum enim maxima poſt aerem neceſſitas: cauſam ſi quæris, facilis ac prompta reſponſio; liquor ſpiritu multo præditus, ut ſanguis eſt, male obturato vaſe nempe corpore concluſus jugiter vaporat, ac minuitur, ſumptis idcirco alimentis vult identidem refici. At capeſſendi cibi ratio, quam res gravis eſt, quam multas, ſummaſque cautiones habet. Apage illos, qui hoc munere negligenter defunguntur, & comedendi ſcientiam ad eos quibus in ſolo vivendi cauſa palato eſt, pertinere, temerè obganniunt. Si ſobrius es, ſanitatem amas; ſi in comedendo circumſpectus, ſobrium te agnoſco. Hujus artis ſciſcitaris præcepta, audi, præcipua breviter ediſſeram. Fuge ciborum varietatem, & cænas dubias ex quibus rarò niſi crudus & pallidus deſurges, efficient enim, ut & comedas magis, & minùs coquas. At cibus non ſit nec nimium ſimplex, nè omni gratiâ, ac jucunditate privatus, ſtomacho faſtidia pariat; nec conditus nimium ne ſit potius irritamentum gulæ quam dulce eſurientis ventriculi lenimen. Ut te ad menſam ſiſtas, ne expecta dum fames modum exceſſerit: tunc latrans ſtomachus quidquid oggeritur, non ſatis præmanſum avidiùs vorat, non ſine gravi futuræ chyloſeos incommodo; plurimum namque refert ſalivam & aerem alimentis in ore diù & exquiſitè miſceri: à ſalivâ non contemnendum coctionis rudimentum in ore accipiunt, ab aeris incluſi virtute elaſticâ, habent ut cum in ventriculum deciderint continuò meliùs expandantur, & faciliùs colliqueſcant. Sed parum intereſt quo ordine cibos ingeras, hos enim confundit ac miſcet & fermentatio, & ventriculi motus. Interim cave ne epulationem totam ſiccus tranſigas, memor ſcilicet repetitâ potione ad juvandam ciborum elixationem, eorum ſalia diluere. Cum tantum cibi ac potionis adhibendum ſit, ut reficiantur vires, non opprimantur, utriuſque eam copiam ſume, quam facile ſuperes, & quâ ſumptâ, corpus agile nec nimis onuſtum ac gravatum ſentias. Denique exemptâ fame, ſublatiſque menſis, ſi quæris quid ſit tibi agendum, otium des animo & corpori, nè præſtantiſſimum chyloſeos opus ullo laboris genere, corrumpas.

CUR in ſumendis cibis tot cautiones? cur ſumptis, à labore protinus vacandum? id nempe ventriculi dignitas, & chyloſeos præſtantia poſtulant, atque exigunt. Ventriculus in œconomiâ naturali præpotens à pluribus patris-familias, à quibuſdam Regis nomen obtinuit. Is ſanitatis non minus quam ingenii largitor: dum valet, & rite officio ſuo fungitur, toti corpori bene eſt; quidquid delinquit, quidquid delirat, aliæ plectuntur corporis partes. Officina eſt primæ ac publicæ coctionis, quæ pluribus aliis viam ſternit, quæque eò diligentiùs accuranda eſt, quò ipſius errores nulla alia corrigit & emendat. Hæc ope ſalivæ ſummi atque efficaciſſimi fermenti, novamque alimento naturam induentis, in ore inchoata, in ventriculo tandem perficitur. Qui vult id fieri per facultatem χυλοποιητικὴν, facultatis iſtius inſtrumentum aliquod non recuſat agnoſcere. Hoc ſane fermentum quoddam eſt, non ſolùm in diverſis ſpecie animalibus omninò diverſum, ſed etiam in ipſâ hominum ſpecie plurimum nonnunquam diſcrepans; hinc fit ut cibum is efflictim amet, quem alius horret atque averſatur. Quod in quibuſdam animalibus ut piſcibus, abſque calore ſit efficax, non improbabile eſt: in homine non item, humanum quippe fermentum, ſive ex ſalivâ continuo depluente, alimentorum reliquiis, lymphâ quâdam peculiari, è glandulis ventriculi ſtillante; ſive aliâ quacumque ratione conficiatur, mirum in modum indiget caloris & ſpirituum auxilio. Spiritus gaudium ac vitalitatem paſſim laturi, quoquo verſum diffunduntur: ab ipſis uniuſcujuſque partis fermentum perficitur, animatur, & veluti admoto calcare ad edendam functionem ſtimulatur; fermentum igitur ventriculi à ſpiritibus acuitur, excitatur, & ad abſolvendum chylum, fit promptius & alacrius. At ſicut in chymiâ digeſtiones ac fermentationes quaſvis promovet ignis circumjacens, ita vicinarum ventriculo partium ut jecoris, lienis, inteſtinorum, omenti calor, coctionem magnopere juvat: hinc narrant eos quibus per vulnus erumpentis epiploi portio amputata eſt, pejus concoquere, & cruditates ſæpius experiri. Spiritus naturâ ſuâ quo ferantur indifferentes ac incerti, parti magis laboranti potiſſimum ſuccurrunt. Si meditaris ſublimia, cerebrum petunt; ſi in rei venereæ cogitatione animum habes occupatum, diſtendunt genitalia; ſi gravi aliquâ paſſione cruciaris, cordi ferunt ſuppetias; ſi plenus eſt cibis ventriculus, ad ipſum ex toto corpore feſtinanter accurrunt, unde tunc plurimis tentatum frigore corpus dolet. Cum calor igitur ac ſpiritus tantopere ad coctionem conducant, quis neceſſaria ipſius adminicula, in ſuſcepto ſtatim à paſtu labore perperàm conſumat?

[a] Eccleſiaſt. c. 8.
[b] Hipp. lib. 1. de diæt.

LABORAT [a] homo ut comedat, hoc enim ſolum ſecum aufert de labore ſuo, in diebus vitæ ſuæ, quos ei dedit Deus ſub ſole; comedit viciſſim ut laboret: ac [b] cum cibi & labores contrarias habeant virtutes, ut non ſtatim à labore cibus capiendus eſt, ſic non ſtatim à cibo ſuſcipiendus labor. Is multas, magnaſque habet utilitates, membris robur ac firmitatem affert, auget calorem nativum, Spiritus torpentes excitat, excrementa diſcutit; at quemadmodum aliis rebus, ſic ſua eſt labori tempeſtivitas. Hunc qui ſalubrem eſſe voluerit, eum non ſolum accommodet ætati, ſexui, temperamento, anni tempeſtati, ſed inſuper ejus opportunitatem inveniſſe ſciat. Si quæris quænam ea ſit, attende quod labor omnis etiamſi non omnino vehemens, corpus aut animum exagitat, ſpirituſque diſſipat non paucos; hinc fit ut non ſit tempore coctionis adeundus, quo corpus & anima quietem, remiſſionemque poſtulant, & Spiritus ac calor veluti maximi coctionis adjutores, omni curâ fovendi ſunt, & à ventriculo non avocandi. Laboris nomine motum aliquem violentum intelligimus, ſive animæ, ſive corporis, ſive utriuſque ſimul. Motus animæ ſunt ſtudia, meditationes; Motus corporis ſunt exercitationes quævis, ipſa venus; Motus animæ & corporis ſunt paſſiones. Duo primi ſpontanei ſunt, & in noſtra poteſtate omnino ſiti; ultimi ſæpe numero voluntatis imperium detrectant, paſſionum tamen occaſiones quærere vel fugere, properare vel retardare nonnunquam datum eſt. His omnibus ſuus eſt locus, ſua ſunt tempora: ſtudiis ac meditationibus incumbendum cum peractâ coctione, diſſipatiſque ciborum vaporibus, quodammodo evolutus, ac lucidus ſit animus: tempeſtivæ exercitationes, cum confecti, & numeris omnibus abſoluti chyli diſtributio inſtat, corporis motu plurimum juvanda. Veneri litandum, cum ſpiritibus à ventriculo poſt chyloſim perfectam reducibus, aliiſque nuper genitis turgidum ſemen, majorem dat vel voluptatis, vel ſuſcipiendæ prolis ſpem. Denique ſi paſſio quæpiam vehemens perferenda eſt, eo maxime tempore ſuſtineri debet, quo corpus & animam conturbari, non admodum eſt periculoſum. Ab his omnibus ſtatim à paſtu feriandum eſt, & quemadmodum ubi fames, ſic quoque ubi ſit ſatietas, nullo modo laborandum.

[c] Plutarch. in vita Marcelli.
[d] Syracuſas.
[e] Juvenal. ſatyr. 1.

STUDIA ac meditationes plurimis egent ſpiritibus, quibus in cerebro conſumptis, novos ex aliis corporis partibus mutuantur, quarum idcirco functiones offenduntur, aut pereunt. Meditabundus homo nec videt, nec audit, admotum ignem non ſentiat, hunc ſtipitem, non hominem dixeris. In matheſin [c] Archimedes tam intentum habebat animum, ut ad horribilem armorum ſtrepitum ſurdus, captam ignoraret [d] urbem ſuam. At tantam animi contentionem quantus languor, quanta ſpirituum diſſipatio ſubſequi ſolet; hinc fit ut palleat fere omnis ſtudens, non minus quam omnis amans, & omnes pene cupidi litterarum ſint imbecilles ſtomacho; huic igitur, ejuſque functioni tantopere inimica meditatio, coctionis tempore cavenda eſt. Nec vitandorum tunc quorumdam animi pathematum, minor cura ſit. Ira non ſecus ac tempeſtas pelagum, ſanguinem turbat, & in varios ac inordinatos fluctuationum motus impellit, ſpiritus concitat, è ſolitis tramitibus abducit, in furorem rapit, diſſipat. A profuſâ lætitiâ calor & Spiritus ex intimis penetralibus, in corporis peripheriam diſperguntur, & per inſenſilem tranſpirationem avolant. A mærore extinguntur, ſuffocantur, venenatâ quadam aurâ afflantur, & ad agendum ſegnes evadunt ac torpidi: at ab iſtis omnibus graviter coctionem lædi perſpicuum eſt, cujus intereſt, nec avocari, nec diſperdi, nec hebeſcere, nec tumultuari Spiritus. Vehemens poſt paſtum exercitatio fluctuationem in ventriculo pariet, cibos per vomitum deturbabit, aut crudos quoquoverſum diſperget, humores in ventriculum contrudet vitioſos, quibus ipſius fermentum fatiſcet, aut inhabile fermentationi efficitur alimentum, ſpiritus, quibus tunc maxime uſus eſt plurimos diſſipabit. Incedit venus plurimis ſtipata incommodis, quorum non minimum eſt ventriculi offenſio, hujus quippe refrigeratio & imbecillitas eſt præſentiſſimum veneris vulnus: id ſi neſcis conſule neogamos hanc ventriculi imbecillitatem brevi experientes, dum amoris abundantiâ modum ſtatuere neſciunt. Si venus itaque tantopere ventriculo inimica eſt, hæc, etiam ſi ſoleat tentare humanam ſatietatem, ſtatim à cibo vitanda, quippe tunc in coquendo cibo attentus calor, non vult ab opere inſtituto intempeſtivâ venere averti. Quod ſi, quemadmodum apud antiquos gymnaſiorum pars quædam erat balneum; hoc quoque inter exercitationes numerare ſit animus, imitandi non ſunt priſci illi helluones, qui referente [e] ſatyrico ſtatim è menſâ, & adhuc turgidi, crudum pavonem in balnea portabant, non impune quidem, nec niſi cum gravi valetudinis incommodo; quippe tunc balneum, coctionis expertes cibos, in habitum rapit, infinitis propemodum morbis materiem daturos.

POTIUS itaque quam labori ſe credat qui non concoxit, mallem etiam ſe ſomno committeret, ut plærique faciunt, qui vel meridiantur, vel ſtatim à cænâ lectum petunt; ſed nec ſomnus poſt cibum innoxius, nec gratæ deſunt occupationes, quas ſomno præponere ſit ſatius. Si tunc igitur, (quod omnino neceſſe eſt) corpus & animum relaxare ſit propoſitùm, præſto ludus eſt, ſed lenis ac remiſſus, quique nec immodico pretio, nec vehementi attentione nimiùm acuatur. Sunt cantus, ſymphoniæ, teneri dulceſque tibicinum ſoni; ſermones invitabiles, jucundi, & cum quadam illecebra & voluptate utiles; ſuppetunt quæſtiones ſympoſiacæ, quibus agitentur arguta quædam, lepida, minuta, & florentem vino animum leniter laceſſentia; adſunt levia carmina, faciles verſus, quibus legendis, vel audiendis des operam, vel etiam componendis (vino nonnunquam ingenium faciente) perfunctoriè incumbas; potes pedibus ad modum numerumque compoſitis, molles choreas exercere, vel lentis ſpatiari paſſibus. His omnibus coronidem imponat moderatum gaudium, ſine quo totus langueat ludorum, oblectamentorumque cætus. Porro exemplis ſi rem optas confirmari, id apud nos quotidianum habent, qui valere, & ſeneſcere volunt; ſic vivebant Romani qui poſt epulas fidibus, tybiis, cantibus, delectabantur; qui moriones, ſcurras, hiſtriones, aretalogos, comædos, poetas, intromittebant: ipſimet ſepoſitis curis, amotis feriis & triſtibus, ſtultitiam conſiliis brevem miſcebant, & in opportunam laſciviarum, riſuum, jocorum licentiam èffundebantur. Quippe cordatis, & valetudinis propriæ ſtudioſis hominibus, ſemper viſum eſt, ſemperque videbitur, illud omne poſt aſſumptos cibos adhibere, quo calor nativus foveri, recreari, ventilari queat, quo ſpiritus blande moveri poſſint, & ad agendum excitari: quidquid vero nimis corpus & animum movet, quidquid calorem & ſpiritus extinguit, diſſipat, à ventriculo avertit, quidquid durum, difficile, anxium, vel fugere, vel in aliud tempus differre.

Ergo ſtatim à cibo labor omnis vitandus.

Proponebat Pariſiis ANDREAS CRESSE', Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1695.